Epistola ~~1~~50. JOHANNI COCCEJO TOBIAS ANDREÆ.

S.C.O. Clarissime atq Excellentissime Vir
Amice singularis

Lator harum JACOBUS ALTINGIUS, magni patris haud degener filius, quem antehac de meliori nota tibi commentari, deinde inde porrò in Galliam tendens, in transitu tecum amicitiæ jura pacisci desiderans, me auspicem et paranymphum advocavit. Non abutar opera ocioq meo ac tuo in eo commendando. Hoc tantum rogabo pro solita tua humanitate ipsum admittas, et promet ipse quibus non favorem tantum tuum sed amorem etiam queat mereri. Utinam v. g. et ejus ante votum fuit diutius frui vestra disciplina liceret, certus sum non minorem tibi voluptati, quam sibi fructui futurum. Sed jam alio consilia Dni parentis destinant et tamen redire occasio ipsi poterit. Observationes Dni Gronovii nunc rectè acceperis, fratrem ipsius sospitari, expecto per ipsum responsum.

Vale vir summe, bono ac gloria Academiæ vestræ.

Dab. è museo

Gron. Fris.

a.d. X. Cal. Julias

Ao ☧ CIↃIↃCXXXIX

Responsum Epistola XII. in Editis.

T. Toto pectore

T. Andreæ

Clarissimo atque Ex-
cellentissimo Viro
Dn. Johanni Cocceio
Linguae utriusque sanctae
in inclyta Frane-
querana Professori
dignissimo.
Amico summo
[illegible] Franequeram